



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo pias cum populis tum episcopis, literas subinde scripserit. Cap.
XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

*Litteræ eius ad Aegyptios & hortatio, vt ad concordiam
redeant. CAP. XXII.*

Verum cum iam inter omnes pax esset conciliata, solos Aegyptios seditiosa contentio, mutuo inter ipsos distraxit, ita vt imperatori de integro non nihil negocii facefferent illi quidem: sed tamen bilem ei minime commouerent: quippe eos vt patres, imò verò vt Dei prophetas, omnino honorifice reuerens, illos secundo accersere dignatus est se rursus non inuitum, tanquam arbitrum, eorum controuersis interponere: illis iterum munera honorificè impertire: arbitrium suum & sententiam per epistolam significare, & concilii decreta suo sigillo rata facere. Hortari etiam, vt concordia adhærerent, vt non distraherent ecclesie dirimerentque confessum, sed diuini iudicii recordationem intima cogitatione complecterentur. Ista per litteras imperator illis significauit.

*Quomodo pias cum populis tum episcopis, litteras subinde
scripserit. CAP. XXIII.*

Alia item infinita his similia scripsit, vixque dici potest, quot & quàm multas epistolas exarauit: interdum Episcopis, ea quæ ad ecclesiarum Dei commodum spectabant, præscribendo: interdum etiam cum ipsa multitudine per litteras colloquendo, & vt beatum decet, singulos è populo, fratres & conseruos appellando. Cæterum ista seperato opere tractare, cum satis suppetit otii, commodius erit, ne præsentis historiae tanquam corpus medium incidatur.

*Quomodo Hierosolymis, in sancto seruatoris nostri resurrectionis
loco, templum exiruendum mandauerat.
CAP. XXIIII.*

His rebus ad hunc modum constitutis, aliud quoddam opus maximè memorabile apud Palæstinorum gentem diuinus iste imperator efficere aggressus est. At quodnam quæso! sanctissimum illum salutaris Christi resurrectionis locum Hierosolomis, existimauit ita à se resur-